



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiae Theodorianae
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiae
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

Horrion, Johann

Paderbornæ, 1616

Capvt IX. Summa rerum in Alisone castello gestarum, dum illud Romani
tenuerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14243

Quid clarius? Quem enim locum Dio ad confluuiam Luppia, & Alifonis, eum Velleius statuit ad caput Luppia. Is igitur amnis, qui proximè à capite Luppia in ipsum influit, is est qui Alifo veteribus dictus, Drufiano castello locum, & nomen dedit. At quis ille est, nisi Alma? Maneat ergo, Princeps Illustrissime, tuum hoc domicilium in ipsis Castellis Drufiani vestigijs esse collocatum.

CAPVT IX.

Summa rerum in Alifone castello gestarum, dum illud Romani tenuerunt.

Quo in loco, quæ jam inde à prima origine, non indigna posteritatis memoria, gesta sint, si coner breuiter percensere, equidem nescio si me operæ pretium facturum. certè, quæ tua est humanitas, Princeps optime, si me in eo, & pietati in te meæ obsequi, & studijs adolescentum nostrorum prodesse velle videris, non grauatè, vti confido, feres. Illud principiò constat hunc locum situm in finibus Sicambrorum insigni Romanis fuisse præsidio ad compescendos, domandosque Tenteros, Vlipetas, Bructeros, Marfos, Tubâtes, Chattos, Delgubinos, quæ omnes gentes finitimas oras incolebant. Deinde plurimum habebat momenti ad Luppiam, Amisiam, Visurgim in Romani populi potestate retinendum. Quocirca multæ hoc loco nobiles expeditiones susceptæ, multa prælia decreta sunt. Itaq; cùm Imperatores, tum eorum legati multi hoc loco erant. Ac Drusus quidem quæ post conditum Alifonem legatum habuerit non certò proditur. est tamen vt credam fuisse L. Domitiũ Ahenobarbũ Neronis

Neronis Imperatoris auum. Is, vt refert Tacitus, per medias [An. 1.]
 paludes tramitem aggerauit vsq; ad Rhenum, quò com-
 modè Romanæ copiæ permearent. Pertinuisse verò eum,
 aggerem vsque ad nostrum Alifonem, ex eo conijci licet,
 quòd postea narrat Germanicum omnia inter Alifonem, [An. 2.]
 castellum, & Rhenum nouis aggeribus permuniuisse. No-
 uos vocat, eò quod veteres ante à Domitio structos instaur-
 rarit. Idem Domitius hinc quoque, vt opinor, arma vltra
 Visurgim, atque adeò Albim tulit. Sic enim Tacitus de eo:
Exercitu flumen Albim transcendit, longius pe- [Ann. 4.]
netrata Germania, quàm quisquam priorum,
easque ob res insignia triumphi adeptus est. Dru-
 sus quoque Alifonis nostri conditor, ad eundem Albim,
 nomen Romanum protulit, sed cùm victor reuerteretur, [Epitome
 Liuij]
 priusquam ad Rhenum perueniret, ex fractura, equo super
 crus collapsò, naturæ concessit, tertio anno à condito Ali-
 fone, quo vnà cum T. Quinctio Crispino ipse consulatum
 gerebat. Corpus Romam à Tiberio perlatum est. Milites [anno an-
 te CHRIS-
 TVM 7.]
 Romani qui his locis versabantur Aram suo Imperatori
 defuncto erexerunt, haud procul ab Alifone Castello, si re-
 cte Tacitum assequor, qui memorat eam à Germanis post- [Ann. 2.]
 ea dirutam, arque item tumulum Varianis legionibus po-
 situm, cùm à Germanico Alifonem, quem obsederant, de-
 serere cogerentur. A neutro igitur longè aberat. Atque,
 vt dicam quod sentio, credo fuisse inter Luppiam, & mon-
 tes, inter quos via patet ad Teutoburgiensem saltum. Di-
 scimus enim ex Suetonio, cùm de altero monumento, q̄
 Moguntiaci eidem Druso est positum loquitur solenne
 fuisse, vt stato die, circùm hanc aram quotannis exercitus
 decurrerent. eiusmodi verò decursiones magna campo-
 rum spatia postulabant, qualia sunt ea quæ Moguntiaci ho- [Drusen-
 loch]
 L dieq;

L

dieq;

dicque nomen à Druso obtinent; Neq; verò è re erat legionum, vt quotannis procul à suis castris abducerentur; præsertim his locis, vbi ab hostibus facile iniquitate locorum in discrimen adduci poterant. Quæ mihi ratio Germanicum permouisse videtur, cur, vt ibidem narrat Tacitus, Tumulum Varianis legionibus structum, quem ijdem Germani dissecerant, minime iterarit. nimirum tumulus longius aberat ab Alifone, non item ara. Quare confirmare ausim Aram hanc Drusi fuisse in ea planitie quæ inter Alifonem jacet, & Luppia caput, Druso successit in Germania frater eius Tiberius, is quo deinde rerum potiente CHRIS-
TUS Saluator noster crucem pertulit. Is proximo à morte Drusi anno (Marcio Censorino, & Caio Asinio Gallo Coss. Sicambros, in quorum regione demonstraui fuisse
[Ann. 2.] Alifonem, magis consilio, vt ipse apud Tacitum gloriatur, quàm vi vsus, in deditioem accepit, eorumque multa milia supra ripam Rheni in Gallia collocauit, vt ait Eutropius.
[Lib. 7.] Isidorus
Claueri. eos alij postea Burgundiones, alij Gugernos dictos volunt. Neq; multò post Tiberius Romam discessit. Fuit deinde eius in his locis legatus M. Vinucius, eius, cui Velleius suam historiam inscribit, auus. Sub eo, vt idem memorat,
[Velleius
1. 2.] triennio ante adoptionem Tiberij immentum in Germania bellum exarsit, quod ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter, eoque nomine decreta ei cum speciosissima inscriptione operum ornamenta triumphalia. Ad id bellum profligandum jam ab Augusto adoptatus, rediit in has oras Tiberius Sexto Ælio Cato, & C. Sentio Saturnino Coss. Ibi cum trans Visurgim duxisset exercitum, atq; Cheruscos in deditioem accepisset, hieme sequentis anni, qui, L. Valerium Messalam, & Cornelium Cosum
Coss.

[Velleius
ibid.

ANNO
CHRISTI
5.]

Coss. habuit, ad tutelam imperij, inquit Velleius, digredies in Urbem, ad caput Luppiæ fluminis locavit hiberna. Quæ res manifestò ostendit id omne bellum ex hoc potissimum Alifone nostro administratum esse: atque ita ipsa regionis opportunitas flagitabat. Pugnantem enim ad Visurgim non alius erat in propinquo receptus. Proximo consequenti anno repetit eundem locum, atque expeditionem Tiberius, atq; iterum traiecto Visurgi, receptis Cauchis, fractis Longobardis ad quadringentesimum (verba sunt Velleij) miliarium à Rheno ad flumen Albim victorem perduxit exercitum. Erat Tiberij legatus in hoc bello C. Sentius Saturninus, qui nuper consulatum gesserat ei, vt refert Dio, ob res his [Lib 55.] regionibus ductu Tiberij bene gestas ornamenta triumphalia decreta sunt. Circa idem tempus Maroboduus Marcomannorum rex, qui in Boiohæmo dominabatur, graue [Velleius ibidem] bellum in Romanos commouerat. aduersus eum ex his ad Alifonem castris Tiberius per Noricum, Saturninus per Chattos cum copijs est profectus, A. Licinio Nerua, Q. Cæcilio Metello Coss. Hoc bellum sanè atrox, & periculosum, vt in cuius societatem Maroboduus vniuersam quoque Pannoniam, & Delmatiam traxerat, prope à Tiberio feliciter patratum erat, cum hic apud Alifonem ingens plaga Romano est nomini imposita, Q. Sulpicio Camerino, C. Poppæo Sabino Coss. Etenim digresso Tiberio, præfectus in Germaniam venerat P. Quinctilius Varus, qui antea Syriam administrarat, vir, vt eum nobis depingit Velleius, [Anno Christi 10] ingenio mitis, moribus quietus, vt corpore & animo immobilior, otio magis castrorum, quam bellicæ assuetus militiæ. Hunc supra memorauimus cum exercitu

exercitu Alifone confedisse. Nam Germani, vt narrat Dio, quibus nimitum fidebat, dederant operam, vt quam longissime abesset à Rheno, scilicet vt homini facilius infidias facerēt. at nullus castrorum Romanorum locus in hac regione à Rheno quantum Aliso distabat. Deinde caeso Varo Germani confestim ad oppugnanda castra conuersi sunt. ea verò fuisse Alifone disertè pronunciat Velleius. Assuetus igitur, vt ante cognouimus, otio castrorum Varus hic non modo hiberna, sed etiam, vt ait idem, trahebat æstiuam; & quoniam, vt ex Dione nuper didicimus, Alifone forum erat, vbi Præfectus Romanus jus dicebat, audi quemadmodum ea res hominem infelicem, Germanorum fraudibus, ac dolis irretiendum, ac penitus constringendum dediderit. Velleij verba sunt: Mediam ingressus Germaniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, jurisdictionibus, agendoque pro tribunali ordinem trahebat æstiuam. At illi, quod, nisi expertus, vix credebat, in summa feritate versutissimi, natumque mendacis genus, simulantes fictas litium series, & nunc prouocantes alter alterum iniuria, nunc agentes gratias, quod eas Romana iustitia finiret, feritasque sua nouitate incognitæ disciplinae mitesceret, & solita armis discerni, jure terminarentur, in summam foecordiam perduxere Quintilium, vsque eò, vt se Prætorem Urbanum in foro jus dicere, non in medijs Germaniæ finibus exercitui præesse crederet. Hæc Velleius, qui vnum præterijt, quòd ad excusandos Germanos non nihil facit, neque

[lib. 16] reticuit Dio. Ait enim Varum principio Germanis velut seruis.

seruis imperasse, & argentum exegisse tanquam à subditis. cuius rei insolentes eorum primores, quando palam rebel-
lare non audebant, ad simulandam amicitiam, & obsequiū,
struendasq; clandestinò infidias flexisse. obseruauit igitur
aduersus Romanos Germani illud Romani vatis: **Dolus**
an virtus quis in hoste requirat? Erant insidiarum
Principes, vt idem Dio ait, Arminius, & Segimerus, qui as-
siduò cum Quinctilio versabantur, ac saepenumero conui-
uabantur. Atque hæc omnia gerebantur, vt diximus, Aliso-
ne. Vbi jam nihil sibi Quinctilius à Germanis metuere vi-
sus est, primùm eum rogant, vt præsidio sibi militum Ro-
manorum vti liceat. Dictum factum. alijs ad oppida muni-
enda: alijs ad capiendos latrones: alijs ad subuehendos
commeatus præsidia concedit. Postquam imminutus, &
debilitatus exercitus Alifone remanserat, excogitat quem-
admodum Varum inde ad iter protrahant, quò cladi sit op-
portunior, cum se per amicorum regionem ire crederet.
Quid quæris? repente ex composito Alifonem affertur
truncius, quosdam è longinquis Germanis arma sumpsisse.
Hic qui apud Quinctilium erant, quos jam pridem amicos
esse sibi persuaserat, rem indignam dicere hortari, vt rebel-
les punitum iret: auxilio se mox affuturos. Illi digressi,
quos quiq; Romanos, velut sibi præsidio futuros à Quin-
tilio postularant, obruncant: Quinctilium aduersus re-
belles Alifone proficiscentem, à tergo, deposita jam amico-
rum persona, adoriuntur. Ita, inquit Velleius, exercitus
omnium fortissimus, disciplina, manu, experien-
tiaque bellorum inter Romanos milites prin-
ceps, marcò re ducis, perfidia hostis, iniquitate for-
tunæ circumuentus, cum ne pugnandi quidem e-
ret occasio, in quantum voluerant data esset.

[Dio lib.
56.]

miseris, castigatis etiam quibusdam graui pœna, quia Romanis & armis, & animis vsi fuissent; inclusus siluis, paludibus, insidijs ad internecionem trucidatus est. Reliquerat Varus Alifone, vt constat ex Dione legatum L. Asprenatem. narrat enim à tubicinibus, cum se ad prædam conuertissent Germani, sparsam esse famam aduentare Asprenatem suos vlturum, neq; eam vanâ fuisse. In propinquo igitur fuisse oportuit. Ducebat Asprenas duas legiones, quas, vt narrat Velleius, naua viriliq; opera immunes tanta calamitate seruauit; matu-
 reque ad inferiora hiberna descédendo, vacillan-
 tium etiam cis Rhenum sitarum gentium animos
 confirmauit. Appellat inferiora hiberna, quæ erant a-
 pud Vetera, vbi hodie est oppidum Sancti, quò pertinebât
 aggeres illi ab Alifone ad Rhenum olim structi. Inter alia
 rei Romanæ damna, quæ clades Variana attulit, illud etiam
 fuit, quòd Alifo, vigesimo circiter, postquã adificatus fue-
 rat, anno, in hostium potestatem venit. Cæso enim cum
 exercitu Varo, immensæ Germanorum copiæ, vt testatur
 Velleius, Alifonem, & in eo Lucium Cæditium præfectum
 castrorum, aliosque, qui supererant, Romanos obsident. At
 illi omnibus difficultatibus superatis, quas inopia
 rerum intolerabiles, vis hostium faciebat inexsu-
 perabiles, nec temerario consilio, nec sequi pro-
 uidentia vsi, speculatiq; opportunitatem, ferro
 sibi ad suos peperere reditum. Hæc sunt, quæ de clade
 Variana ad Alifonis historiam pertinere visa sunt, q̄ Roma-
 no nomini penè exitiabilis, vt loquitur Suetonius, ac-
 cidit in Teutoburgiensi saltu, quod nomen hodie retinet
 mons,

[In O-
 ctav. cap.
 23.]

mons, cui subiectus campus à Germanorum de Romanis victoria VVinfelt appellatur, non longè ab Horna oppido, XII. ab Alifone passuum millibus. Quo tempore Aliso in Romanorum ditionem redierit, non satis compertum habeo, illud ex Tacito exploratum est, octauo post cladem anno tenuisse Romanos. Neq; verò ante Augusti mortem, qui quinto post cladem anno obiit, recuperatum puto. Nā etsi Tiberius, & Germanicus pœnas de Germanis repetitum mox venerunt, negat tamen Dio longe ab Rheno discessisse, ne quod sibi nouum malum crearent. Mortuo Augusto Sexto Pompeio, & Sexto Appuleio Cofs. Tiberius jam Imperator in has oras venire desijt. quapropter totam belli Germanici molem Germanicus Drusi, qui Alisonem ædificauerat, filius, sustinuit quem, vt narrat Tacitus, Octauus Augustus octo apud Rhenum legionibus im-
 posuerat. Is anno ab Augusti excessu proximo, Druso Iulio, & C. Norbano Cofs. sedata militum seditione, res nouas Augusto jam extincto molientium, depulsisq; hostium iter obsidentium copijs, exercitum duxit, inquit Tacitus, ad vltimos Bruëterorum, quantumque Amiliam, & Luppiam amnes inter, vastatum, haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquiae Vari, legionumque insepulta dicebantur. Pergit exequi quem admodum in eum saltum progressus Legiones Varianas tumulo condiderit, primusque cespitem posuerit, atque mox ancipiti cum Arminio Marte conflixerit. In hac expeditione receptum, vel instauratum Alisonem promptum est credere. nam ex vltimis Bruëterorum, vbi hodie Delbrugia est, in Teutoburgiensem saltum tendentibus erat necessariò prætereundus. Consecutus est annus, qui T. Siffennam Statilium Taurum, & L. Scribonium Libonem, Cofs.

[Christi
15.]

[Ann. 1.]

[Ibid.]

Coss. habuit, quo Germani, dum Germanicus classem apparatus, qua militem & comitatum in has oras per Amisiam aduehat, interea magnis copijs castellum Luppiae flumini appositum obsident, vt commemorat Tacitus. Id castellum paullo post Alifonem nominat. Sic enim habet: **A**udito castellum Luppiae flumini appositum obsideri, sex legiones eo duxit. & paullo post: Neque Caesari copiam pugnae obseffores fecere, ad fanam eius dilapsi. tumultum tamen nuper Varianis legionibus structum, & veterem aram Druso sitam disiecerant. Restituit aram, honoriq; patris princeps ipse cum legionibus decucurrit. Tumulum iterare haud visum; & cuncta inter castellum Alifonem, & Rhenum nouis limitibus, aggeribusq; permunita. Atque haec sunt, Princeps Illustrissime, quae de Alifone nostro a Romanis scriptoribus sunt prodita. Consequentibus temporibus, vt seignius Romani in Germania Magna bella gesserunt, ita minorem dedere scribendi materiam. Siquidem hoc ipso anno, quo Alifonem obsidione liberatum esse dixi, Germanicus post insignem victoriam, quam ad Visurgim, in campo Idistauiso, non longe a Minda, de Arminio reportauit, a Tiberio fortissimum iuuenem, vt loquitur Tacitus, specie honoris, amoliri cupiente, in urbem reuocatur. Ibi cum proximo anno C. Caelio, L. Pomponio Coss de Germanis triumphasset, missus in orientem, non multo post, dolo Pisonis interijt. Interea res Germaniae per praefectos Tiberius sic administrabat, vt, ne cui bellum permitteret, etiam damna dissimularet, fatius arbitratus rebellium

gentes,

[Ann. 2.]

[Tacitus
an. 2.]

Ibid.

[Tacit. l.
4. Ann.
[Ann. 2.]

gentes, quando Romanæ vltioni consultum sit
 internis discordiis relinqui. Neque nihil in hoc Ti-
 berius vidit. nam post discessum Germanici, inter Cheru-
 scos, & Maroboduum graue bellum exarsit, & postea inter
 eosdem Cheruscas, & Chattos tantæ inimicitia, vt alicubi
 Tacitus, eos æternum discordare, scripserit, vt interea [Ann. II.]
 Hermundurorum cum iisdem Chattis proelia, & Bructe-
 rorum, atq; Ansibariorum excidia silentio præteream. In-
 ter hæc Germanorum dissidia, tantisper Aliso præsijs Ro-
 manorum tenebatur, donec Claudius Imperator, vt est a-
 pud Tacitum, C. Valerio Asiatico. M. Valerio Messalla Coss. [Annal. II.]
 qui erat à condito Alifone Sextus, & quinquagesimus, ad
 eò nouam in Germanias vim prohibuit, vt referri
 præsidia cis Rhenum iuberet. Præerat tum Germaniæ
 cum exercitu L. Domitius Corbulo vir veteris disciplina
 militaris obseruantissimus, & maximis postea rebus in O-
 riente gestis immortalem famam consecutus. Is igitur in i-
 pso aditu præclarorum operum, ad quæ jam pro nominis
 Romani gloria se accinxerat, non modò reducere exerci-
 tum, sed Alifonem quoque, & quacumq; in vltiore Ger-
 mania Romani loca tenuerant, præsijs nudare coactus
 est. Itaque deinceps præclare Romani secum agi existi-
 marunt, si Germanos transitu Rheni prohiberent. Quid
 quod Panegyristes quidam ausus est dicere coram Maxi- [Paneg.
 miano, & Constantino, posterioribus falso de antiquis Im- Max. &
 peratoribus traditum visum fuisse, quod trans Rhenum. Const.]
 signa barbaris gentibus intulissent. Quò maior est gloria
 tui Alifonis, Princeps Illustrissime, habuisse in hibernis Ro-
 manas legiones, hic jus dixisse tot consulares, tot ornamē-
 tis triumphalibus insignes viros, hic bella administrasse il-

M los ex

los ex Augusta domo nobilissimos imperatores, quorum
 ea fuerit virtus, vt etiam posteris supra fidem esse videre-
 tur.

CAPVTVT XIII.

In quorum potestatem venerit Ali-
 fo à Romanis desertus.

QUID verò, Romanis aquilis cis Rhenum redu-
 ctis, Alifone factum est? Videtur enim certum, &
 exploratum, minimè vacuum, ac desertum esse
 derelictum, sed abscedentibus Romanis immi-
 grasse Germanos, aut, quod verisimilius, dirutum instau-
 rasse. Neque enim fieri potuisset, vt ad nostram vsque
 ætatem Romanum Alifonis nomen retineret, nisi jam in-
 de à Romanorum ex his oris discessu, ab aliquo populo cul-
 tus esset, atque celebratus. Quid quod jam ante docui con-
 uenisse etiam Alifonem, & sedes in eo fixisse Germanos, q̄
 sanè libenter in tantis, & tam crebris inter vicinas gentes
 simultatibus faciebant, quòd à bellorum iniurijs Roma-
 norum essent præsidio tutiores. Eadem eis fuit, Romanis
 quoque digressis, causa colendi, & muniendi Alifonis. erat
 enim, vt jam demonstraui in medio multarum gentium, q̄
 infestis sæpe armis inter se dimicabant. nam, vt alias taceã,
 Bruçteri, quorum extremos audiuius ex Tacito prope ab
 Alifone consedis, circa exordia principatus Traiani prope
 funditus à vicinis deleti sunt. Quis ergo populus Alifo-
 nem tenuit? nempe idem qui hanc regionem. Ac superio-
 ribus quidem annis, Druso rem gerente, vt diximus, in hac
 Luppia ripa Sicambri incolebant, quos Tiberius postea,
 quòd belli aduersus Romanos auctores ac principes fuis-
 sent, transportauit in Galliam. Versatur verò in quæstione
 apud

[Tacitus
 de morib.
 Germ.]